



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Exhortationes|| Ad|| Religiosos**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

In festo S. Ignatii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](#)

lectiones à magna spiritu Magistra, S. Theresea sedulo addiscere studeamus. 1. Discamus cognoscere, & estimare æternitatem, sapientiam cum illa repetentes in æternum, in æternum, in æternum; hæc ratione terrena omnia apernabimur. Modica hæc voluptas; sed postea poena immensa. 2. Discamus zelum gloriæ divinae & salutis animarum, utriusque pretio & æternitate permoti, sic omnem laborem pro iis exiguum censemus. Modicus hic labor, sed postea gloria æterna. Et nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur, (S. Hieron.) tum nobis, tum aliis. 3. Discamus toleran-

tiam heroicam adversitatum quarumvis, sive corporis sive animæ. Modicus hæc dolor; sed postea lxitia sempiterna. 4. Denique discamus ardente charitatem, qua nos à defectibus purgabit, mentem ad Deum elevabit, inter aspera & ardua, ne succumbamus, tenebit, ad conversionem animarum, reformationem morum nostrorum, perfectiorumque electionem inflamabit; ac denique ad amorem in hac vita inchoatum, in altera, totâ æternitate continuandum promovet, ac transplan-

tabit.



## EXHORTATIO I DE SPIRITU S. IGNATII,

Propagandæ divinæ gloriæ.

T H E M A.

*Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Rom. 8.14.*



Spiritus est Deus, ut ait, S. Joannes c. 4. 24. Et quidem spiritus sublimissimus, excellentissimus, efficacissimus; unus & multiplex, unus & omnes omnium Sanctorum Spiritus eminentissime complectens; à quo tanquam fonte om-

nes illi suum habent spiritum; prout enim dividere & distribuere placuerit. Divisiones gratiarum sunt, inquit Apostolus 1. Corinth. 12. idem autem spiritus unus datur spiritus sapientie, alii genitio linguarum, alii interpretatio sermonum; haec omnia autem operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Hac ratione Deus Propheticis communicavit spiritum

spiritum Propheticum: quem ab Elia petebat Eliseus L. 4. Reg. 2.9. Obscurus, fuit in me duplex spiritus tuus, id est, ut explicat D. Thomas L. 4. contra Gentes c. 11. Spiritus Prophetarum & miraculorum, quo hucusque Eliseus caruerat. Et regnauit spiritus Eliae super Eliseum, l. c. Et mox prophetavit & miracula edidit. Ita Apostolis dedit spiritum Apostolicum, spiritum zelosum propagandi ubique gloriam Dei & animas convertendi. Ecclesia Doctoribus spiritum sapientiae & intellectus, Martyribus spiritum fortitudinis, Ordinum Fundatoribus, non eundem, sed varium & multiformem tribuit, ut & eorum affectus ac lectoribus. S. Francisco ejusque discipulis concessit spiritum solitudinis & silentii. Sancto vero Ignatio Societatis IESU Fundatori Deus de spiritu suo varia dona concessit, & spiritum multiplicem: spiritum castitatis, spiritum sapientiae & scientiae, spiritum obedientiae, & spiritum zelos gloriae divinae propagandae, quos spiritus, per ipsum Deus in totum corpus Societatis diffidit, & quilibet genuinus Societas Filius etiam hodie dum pro capitate sua & Dei libera dispensatione experitur. Breviter premissis aliis, in hac exhortatione spiritum Ignatianum, seu spiritum ac zelum propagandi Dei gloriam praecepit expendens, quem verbo & exemplis nos docuit. — Omnia ad majorem Dei gloriam.

1. Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. l. c. S. Ignatius in arce Pamplonensi prostratus globo tormenti anno 1521. quando summa in mundo erat ignorantia & virorum doctrinam clara-

rorum raritas, & simul quando Lutherus triennio ante anspicatus fuerat, h[ab]erentur, res zizania diffidemare. Huic Deus S. Ignatium opposuit, ut in horis legit Ecclesia: quomodo vero, sece opponeat homini rudis literarum? eum in finem dedit ei Deus spiritum sapientiae & scientiae, desideriumque literas addiscendi, in quas tum in Hispania, tum in Gallia propè decennio incubuit; & praeter literas magnam doctrinam spiritus seu rerum spiritualium cognitionem & sapientiam; & hic studiorum spiritus & sapientiae, Societati communicatus, hodie dum in ea viget, velut tot gymnasiorum viri docti, tot libri in omni genere sapientiae praestantes, testantur; spiritus Dei est hic, & primus Ignatii spiritus.

2. Quoniam illo tempore supra modum tam in Clero, quam populo, etiam palam, grassabantur libidines & turpisissima scelerata; quibus ut se viriliter opponeret Ignatius, Deus singulare castitatis donum ei concessit: ubi enim primo statim conversionis sua mense castitatis voto se obstinavit, ita Deo gratum id accedit, ut ab eo tempore, patrocinio Beatisissimae castissimaeque Virginis, omni prorsus libidinis sensu caruerit. Et haec virtus sive amor castitatis a Christo per B. V. in Ignatium, ab Ignatio ad eius primos Socios, ab his ad alios, atque ita tandem post seculum ad nos devinit, nobisque in Tirocinio, atque adeò in primis exercitiis ita instillata fuit, ut nullum vitium magis detestari, nullum est cathedra aut exhomologatorio magis infectari videamus, quam castitatis Angelica contrarium. Spiritus Dei est hic, & alter Ignatii spiritus.

Gg 3

3. Quia

3. Quia eodem quoque tempore Lugheri Hæresiarchæ pestiferis concionibus ac editis, paſsimque vulgatis libris Vicarii Christi Pontificis Maximi, auctoritas maximè lædebatur; qui tanquam afinus, stolidus, & Antichristus ipſe proſcindebatur, adeoque obedientia ei exhibenda, summè labefactabatur; deinde obedientia erga Matrem Ecclesiam imminuebat, eò quòd ejus præcepta de Sacro audiendo, de abstinentia à carnis, de festorum observatione, penitus abolerentur; ac denique obedientia erga Deum omnium Domini num è medio tolleretur, eò quòd ejus præcepta violarentur, & tanquam impossibilia fervatu, paſsim proculearentur. Hinc S. Ignatius singulari obedientiæ spiritu afflatus fuit; quod auringante se & Societatem, quarto voto, Sedi Apostolica adstringi voluit, obedientiamque promitti, quà ad quævis loca inter fideles & infideles proficiendum obligarentur; cæcheses instituit, quibus ubique terrarum homines docerentur, præcepta Dei & Ecclesiæ observare; adeoque obedientiam Deo, Ecclesiæ & Capiti Ecclesiæ exhibendam instauravit. An non spiritus Dei est hic? & tertius spiritus S. Ignatii?

Inferamus igitur ex proportione universalis conclusionem: *Qui spiritu Dei aguntur, it sunt Filii Dei*, S. Ignatius spiritu Dei agitur, ergo est Filius Dei. Et quidem Filius Dei, electus, dilectus, & multorum Filiorum Dei, in Societate & extra, Parens & Patriarcha. Si hic spiritus in nobis regnet, & nos pariter sumus Filii Dei. Spiritus sapientiae, spiritus castitatis, spiritus obedientiae,

tiz, est spiritus Dei, est spiritus Ignati & spiritus Societatis JESU: *Hoc spiritu ambulate*. Ad Gal. 5, 16. Hoc triplici scilicet spiritu & Filii Dei & proles, Ignatii genuina eritis.

II. Præ cæteris viguit in corde S. Ignatii Spiritus zeli gloria divina, Spiritus propagandi longè latèque Dei gloriam, cum enim illo sæculo, maxima regnaret in mundo ignoramia & malitia, ex quibus veluti fontibus onnis generis scelerâ propullabant & ebulliebant, quibus Dei gloria quin maximè obscurabatur, lædebantque. Divinus spiritus eminenter omnem in se virtutem continens, pro tua bonitate, hunc quoque spiritum ad divinæ gloriæ Ignatio imprefuit, eo diu noctuque stimulabatur, ad Dei gloriam ubique propagandam.

1. *Qui spiritu Dei aguntur*. Spiritus Dei est, nihil extra se intendere, nihil desiderare, nihil querere, nisi gloriam suam; & manifestationem sua Bonitatis. Hic spiritus est à Deo, si in qua piam reperiatur, & hic spiritus est Dei, quia ipse eo regitur: Cur enim Deus creavit cœlum & terram, genem, aërem & aquam, homines & animalia, pisces & volucres, & cetera omnia, quæ ambitu universi continentur, nisi ad suam maiorem gloriam? id est, ut infinitam suam potentiam sufficiant & bonitatem manifestaret; hinc regios Vates in P̄almo 111. ait: *Cœli enarrant gloriam Dei*: scilicet objective nos ad Dei laudem & gloriam enarrandam excitando; non formaliter cum ipsi intellectu & voluntate careant: Et gloria Domini plen-

*et terra. Isaiae 6. 3. Sol, luna & sidera quid prædicant nisi gloriam Dei? Montes & valles, arbores & flores, campi & horti, quid clamant nisi gloriam Dei? Et hæc est intentio, hic finis ac scopus, quem Deus in omnibus operibus suis sibi præfigit; alium verò nec habet, nec habere potest: & hic est spiritus Dei, qui eum semper & in omnibus ad gloriam suam querendam inclinat. Omnia propter seipsum operatus est Dominus. Soli Deo honor & gloria 1. Timoth. 1. 17.*

*2. Idem ille spiritus est spiritus Christi Domini nostri: cùm enim, per Adami peccatum & totius naturæ humanæ corruptionem, collapsum gloriae divinae decus, vellet reparare; & nos mortales ad amorem, obsequium & gloriam DEO debitam persolvendam inducere, humanæ naturæ infirmitatem & miseras suscipere dignatus est, & pro infinita sua divini honoris æstimatione, exinanivit semetipsum, ut quantum sit gloria ejus pretium, quantæque dignitatis sit ejus procuratio homini, amore sui excecati, innotesceret. In eum finem natus est in stabulo: concubibus Angelis: Gloria in excelsum Deo: eo fine prædicationis officium aggressus est, ut Patriæ eternæ gloriam, potentiam, sapientiam, beatitudinem homines edoceret: eo fine patravix miracula, pauperes, crucifixus, mortuus est; ut Deus ab hominibus glorificaretur in tempore & aeternitate, in hoc mundo & in celo. Unde ait: Ego non quaro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patri. Joan. 8. 50.*

*3. Eundem spiritum in excellenti gradu statim initio conversionis sua hauit S. Ignatius Patriarcha noster: cùm enim in obsidione Pampelonensi, lapide è mœnibus excusso vulneratus esset Anno 1511. 26. Maji feria secunda Pentecostes & fallendi temporis ergo Librum unum de Vita Christi Domini & alterum de vitiis Sanctorum legeret, & quo paſto gloriam divinam propagassent, conspiceret, quācumque ardua pro ejus gloria sustinuerint, atque egissent, admiraretur, subito ingenti zelo eos imitandi, ac gloriam Dei augendi succensus fuit: atque ut re ipsa ac practicè id præstaret.*

*1. Decrevit mundum relinquere, Christi & Sanctorum vestigia sequi Hierosolymam proficisci; ut in terra illa sancta, quam Salvator pedibus suis sacratæ calcasset, fideles instrueret ac in spiritu promoveret, infideles vero ad fidem & Evangelium amplectendum adduceret, atque ita Dei gloriam amplificaret.*

*2. Ut verò sese ad hoc aliquo modo præpararet, à seipso incepit, & in se gloriam Dei promovere studnit, quod cuicunque gloriam Dei promovere cupienti, imitandum est. Nam Anno 1522. in Hospitali Maurefano, atque etiam in specu vicina ad littus fluvii, dignos penitentia fructus fecit, jejunando, corpus flagellando, cilicis castigando, humi cubando, peccata expiendo generali exhomologesi, exercitiis vacando, ut spiritu suo prius excuto, ipse deinde alios juvando Dei gloriam amplificaret.*

*3. Anno*

3. Anno 1523. Acceptâ Romæ ab Adriano VI. Pontifice, Apostolicâ benedictione, Hierosolymam contendere coepit; ut animarum saluti operam naveret; verum cùm ob impendentia Turcarum pericula vetitus fuisset, in Hispaniam rediit: ubi, quo melius in rebus spiritualibus, animarum salutem spectabibus, proximis prodeesse posset, triginta jam natu annos primo Barcino Grammaticæ, deinde Compluti seque-anno Philosophia & Theologia studuit, tum Parisiis omnia illa studia octennio repetit, novem socios adlégit, qui voto se adstrinxerunt, quod Hierosolymam profecturi essent, ut animarum saluti procurandæ totos sese tradarent: quodsi verò intra anni decursum, navigandi occasio se non offerret, Romani pergerent, operamque suam ad spirituale proximorum auxilium Pontifici offerrent, quod anno 1537 præstiterunt. Ex quibus omnibus, patet, quomodo spiritu Dei acti sint Ignatius & socii ejus.

4. Quare Societatem JESU instituit, nisi ad fiduci propagationem & frumentum, salutemque animarum. Quare ad tria consueta vota quartum addidit, nisi ut prompti esse ad eundem in terras infidelium & Hæreticorum, ad eorum salutem, ut ab omnibus agnoscetur, amaretur & glorificaretur Deus? Quare Romæ instituit Germanorum & Hungarorum Collegium, nisi ut Juvenes Germani & Hungari probè instituti, in patriam suam reduces, contra Hæreticos pugnarent, & aliis vita exemplo præluerent, quo & ipsi & alii Deum glorificarent. Quare instituit

Domum Catechumenorum, pro aliis Judæis ad fidem convervis. Cenobium malè nuparum, in quo ad tempus mulieres à maritis disludentes, delitescerent, quod controversis compotis, in gratiam cum maritis redirent, quod nunc S. Marthæ cenobium dicitur? Quare cenobium pueriarum, ob formæ elegantiam & rei familiaris angustias, in castitatis periculo versantium, instituit; quod nunc Monasterium S. Catharinæ de funariis nuncupatur; in qua puellæ ejusmodi educantur, ætate maturâ vel vita religiosæ mandanda, vel in matrimonio honestè collocanda, & nisi ad majorem Deiglam?

5. Denique quidquid Ignatius cogitavit, quidquid dixit, quidquid scripsit, egit, mositus est, quod retulit ac dixisse omnia, nisi ad majorem Dei gloriam? Hinc identidem in ore ferebat: ad maiorem Dei gloriam. Et in Constitutionibus, ut refert R. P. Nicolaus Lancianus 242, vicibus repetit, ad maiorem Dei gloriam, ad majus Dei & Creatoris nostri obsequium.

Hic igitur est spiritus Dei, spiritus Christi Domini, spiritus S. Ignati, unicè semper, semper, semper querere, desiderare, fratre Dei majorem gloriam; spiritum illum ab Ignatio hausie S. Xaverius & alii primi Patres, ut in eorum vita ac gestis legimus: quid alii spectabant, quam peccatores convertere, Hæreticos illuminare, Infideles reducere; verbo in omnibus Dei maiorem gloriam promovere: adeoque vere babuerunt spiritum Dei, & fuerant genui filii Dei; non degeneremus nos à præcessis

præcessis his cogitationibus Filiorum Dei, & pariter erimus Filii Dei: nam quia spiritu Dei aguntur, ii sunt Fili i Dei loc. cit.

III. Zelus iste gloriae divinae & sicut seu desiderium ternas habeat, necesse est, conditiones.

1. Est, ut sit universalis, & intentio hæc ad universum vitæ nostræ statum, omnésque ac singulas ejus actiones sece extenderat, sive naturales, sive supernaturales fuerint: *Sive mandacatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Corinth. 10. & ad Coloss. 3. Omnia quæcumque facitis, in verbo & in opere, omnia in nomine Domini nostri facite. Et ad Romanos 1. Ut omnibus glorificetur Deus.

2. Intentio ista sit summè appetitiva; id est, ut pluris Dei gloriam faciamus, quam quodvis aliud bonum crearamus: est enim longè præstantius, quia est bonum Dei, & quodammodo infinitum; & bonum totius, quod boni partis longè est præferendum.

3. Non tantum queramus Dei gloriam, sed etiam majorem Dei gloriam. 1. Magna Dei gloria est ita salutem animæ sua vacare, ut nullum peccatum lethale admittere statuat, licet vita profundenda foret. 2. Major verò gloria Dei & amicitia ejus est: astimatio si potius morem eligam oppetere, quam vel veniale maculam deliberatè committere. 3. Adhuc major est, si ad perfectam puritatem, eti opes, honores, commoda, licet etiam, cum æquali Dei gloria & sine peccato veniali delibero admittere posset; mallet ta-

III.  
spiritus  
nominis  
gloria  
Dei.

men se omnibus iis exuere, & paupertatem, ignominiam, penitentias & corporis incommoda amplecti, tum ut longius ab occasionibus peccatorum venialium abeat, tum ut Christo Domino similior evadat. 4. Adhuc major est Dei gloria, quando tanta puritas & perfectio non tantum propria procuratur, sed etiam pro occasione, licet non ex instituto, proximus ad eam adjuvatur. 5. Denique eò major est, quando ex instituto ita finis uterque conjungitur, ut simul utrumque in omnibus intendatur, atque adeò quasi æquè priuari. Licer enim quisque de se priùs esse sollicitus debeat; non tardò tamen accidit, ut quis tanto divinam gloriam concupiscat amore, ut de se vix cogitet, & siam etiam gloriam & salutem, quatenus bonum quoddam proptimum est, nihil vel parum curet, unius Dei gloria agglutinatus, ubicunque deum illa existere possit: Sic Apostolus Paulus cupiebat etiam à Christo esse anathema pro Fratribus suis, sic Moyes deleri se de libro vita optabat, ut populus ille liberaretur; idque ad Dei gloriam, quam uterque sibi propositam habebat, quam maximè. Ita S. Ignatius malebat beatitudinis incertus vivere, & Deo incertim ac proximorum saluti inservire, quam certus ejusdem gloria statim emori. Ad hanc Dei maiorem gloriam tota Christi Domini vita composta fuit: poterat assumere corpus virilis statura, sed maluit infantis, potuit guttæ redimere, sed redemit undā sanguinis, poterat venire in gloria, sed maluit in ignominia; maluit exima-

Hh nite

nire semetipsum, pro maiore Patris æterni gloria, & copioiore hominum salute.

Quocirca, Charissimi, si volumus, defideramusque esse Filii Dei, & filii S. Ignatii genuini, agamus quadruplici spiritu S. Ignatii, spiritu sapientiae, spiritu castitatis, spiritu obedientiae, & in primis spiritu propaganda gloriae Divinae: hic enim spiritus eluxit in omnibus operibus Dei, eluxit in omnibus Christi dictis & factis, eluxit quoque in omnibus S. Ignatii molitionibus: omnia ad maiorem Dei gloriam. Hanc queramus in omnibus & singulis, hanc præ omnibus rebus creatis magni æstimentiis: nec solum Dei gloriam, sed maiorem ejus gloriam spectemus: queramus: hoc est unicum bonum, quod nos mortales Deo tribuere possumus: neque aliud habemus, quod Deo rependamus: non egit quidem ipse gloria nostra: nec minus in fide est gloriofus, licet nos ei gloriam & honorem denegemus: haec tamen ejus est benignitas, quod in nostra potestate esse voluerit,

gloria sua bonum ipsi procurare: et præmio, ut simul in nostram cedat utilitatem & gloriam sempiternam in celis.

Per hanc intentionem majoris Dei gloriae, quam maximè Deo, Christo & S. Ignatio similes evadimus: hac intentione satisfacimus præcipue illi obligacioni, quæ Deo obstricti sumus, servanti Patris Filii, sive ut servi & principia tam excellentis Domini, sive ut Creaturæ ad eò munifici Creatoris, sive ut subditi regni Regis. Hoc enim bonum est, quod propriè decet Filio Parenti optimo, servos Domino, subditos Regi, Creaturas Creatori suo repando: quid enim aliud habet, quod in signum amoris & animi grati efficaciter velle, ac tribuere valeat. Non degeneremus igitur à præcessis cogitationibus filiorum Dei; & maiorem semper gloriam procurare allaboremus: iacimus Filii Dei: Qui enim ageretur spiritu Dei, nō sunt Filii Dei.



EXHOR-

EXHORTATIO II.  
DE S.P.N. IGNATIO.

Proponit ejus Sapientiam.

THEM. 4.

*Si enim magnus Dominus voluerit, Spiritu intelligentiae replebit illum, & ipse tanquam imbre emittet eloquia sapientiae sue.* Eccli. 39.

BATUS Henricus Sufo, sub annum Domini 1350. doctrinā, sanctimoniā, & miraculorum gloriā inclitus, miro sapientiae amore exaruit, unde & Ministri Sapientiae eternae cognomen retulit: cūmque haec Sapientis verba, *Quæsi sponsam mihi eam assumere, & amator fatus sum formam illius.* Sap. 8. super mensam legi audiret, tanto ejus amore est inflamatus, ut spirituale cum ea connubium contraxerit: ut enim *Vita Author. c. 4.* recenset: Apparuit illi sapientia specie Virginis, instar solis radiantis, atque in throno sedentis: cuius corona erat eternitas, amictus felicitas, sermo suavitatis, complexus satietas: quæ benignè eum afflata: *Præbe fili mi cor tuum mihi,* & ipse pedibus ejus advolutus, lacrymantibus præ gaudio oculis, expanso cordis sinu eam circumplexus est, & pectori suo suaviter astrinxit. — Quod B. Suloni evénit, accidit quoque S. Patriarchæ nostro Ignatio, nam & ipsi conversionis sua initio, jam Christus Dominus, qui est in dñe Sapientia, jam sanctissima Trinitas fons inexhaustus Sapientiae, jam B. Virgo Mater Sapientiae apparuit, verâmque ipsum ac celestem Sapientiam docuit: hanc Sapientiam, tanquam celestem adamavit Ignatius: *Si enim magnus Dominus voluerit, spiritu intelligentiae & sapientiae replebit illum,* quod ei, Libros de vita Christi & Sanctorum legenti accidit, tom enim oculos ei aperuit, & spiritum intelligentiae infudit, ut mundum contemneret, & Christi vestigia legere statueret. *Et ipse tanquam imbre emittet eloquia sapientiae sue,* copiosè & abundanter;

Hh 2

dante;

244  
danter, & què ac suaviter & utiliter.  
Declarabimus igitur, quomodo S. Ignatius tres imberes sapientia tanquam tres insignes sapientiae fructus protulerit. 1. Imbrem Deo, eum sapienter laudando. 2. Sibi, se ipsum sapienter dirigendo. 3. Proximo, eum sapienter instruendo. Omnia ad maiorem Dei & S. P. N. Ignatii honorem & gloriam.

I. *Imber sapientiae Ignatiana circa Deum.*  
Primus imber seu fructus sapientiae, quem S. Ignatius protulit, est erga Deum: scilicet Deum sapienter laudando; Unde Ecclesiasticus de viro Sapiente, postquam dixit: *Emitte tanquam imberes eloquia sapientia sua l. c.* mox addit: *In oratione confitebitur Domino: id est immensam ejus gratiam, potentiam, bonitatem, sapientiam laudabit, celebrabit, ac pro collata sibi sapientia gratias ager, postulans, ut eam augere & perficere dignetur: in oratione enim, meditatione & contemplatione, oritur sapientia, cognitio, estimatio, & amor. Hac autem sapientia, seu donum sapientiae, quod à Spiritu Sancto est, tria efficit, (ut in med. P. de Ponte legimus, de Spir. S.) Nam 1. perficit nos in cognitione Dei, & excellentiarum, atque attributorum ejus, ac rerum omnium ad divinitatem ejus spectantium. 2. Imprimis magnam estimationem rerum divinarum, cum gustu & dulcedine in iisdem. 3. Quarum gustu & experientia perficitur ipsa cognitione & Spiritus elevatur ad accensos actus amoris Dei, & unitonis cum ejus Bonitate.*

Omnia hæc sapientia in excellenti gradu efficit in S. Patriarcha nostro Ignatio: Nam

1. Quoad cognitionem mox ab initio conversionis sua, fuit non tantum modis ordinariis, sed etiam extraordinariis, & visionibus admirandis, jam Beatissimæ Virginis, jam Christi Domini inflatis, aut ignis, jam SS. Trinitatis ita illuminatus, ut clare cognoverit Deum, Christum, & omnia fidei nostræ myriarum, tanta vivaciter & perfectè, ut licet literæ non extarent, ipse tamen profidemotus paratus esset, ob ea, quælibet Deus revelasset.

2. Ex cognitione lucida, orta est summa rerum divinarum estimatio, cum gusto & dulcedine in iis: hinc etsi Domus Professæ Romanæ scandens & sidera suspiciens exclamabat: *Quæm faciat mihi terra, dum cœlum appicio. Dum Deum ejusque divina attributa, a reliqua coelestia contemplor, tota terra cum omnibus divitiis, honoribus & voluptatibus, quæ in ea sunt, vilescit, & easdibitior ut stercore.*

3. Ex hac estimatione & gusto acceptentia, elevabatur ad amandum deum, sèque cum illo uniuersum: ex hoc verò amore toties rapiebatur ad gloriam ejus amplificandum; hinc toties in corde & in ore habebat: *Ad maiorem Dei gloriam, eam unicè in omnibus quartendo: & ut in Bulla Canonizationis de eo refertur: Tanto ardebat amore, ut ita illum exquireret, & nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo; & illius obtemperare voluntati. Itaque illi statum committebat; illum omnino sequi deciverat; etiam si toto calo, terraque privaretur: omnes suas cogitationes, verba & opera, in Deum, tanquam in finem ritebat.* -- Maximo gusto & amore cum

II.  
Iacob  
pente  
legi  
circ  
plan

eo colloquebatur & conversabatur.  
In oratione confitebitur Domino. Li-  
bentissime enim & cum suavitate ac  
dolcedine intimâ cum Deo colloquia  
instituebat, ac preces fundebat; & qui-  
dem initio conversionis sue septenas  
horas, genibus nixus, orationi dabant:  
post sacrum binas horas in contem-  
platione insumebat: ex floris cuiusdam  
aspectu facillimè in Deum rapiebatur.  
Atque hic est imber primus sapientiae,  
è corda S. Ignatii scaturiens.

O si hic imber è pectore S. Patris in  
corda nostra defueret! O si Deum, di-  
vinaque attributa, veluti ipse, clare  
cognosceremus! quod toties ipse pete-  
bat: O Domine si te homines noscent!  
O si Deum, divinaque, tanti, atque ipse,  
estimaremus, & cum simili dulcedine  
ac devotione degustaremus! O si ex  
hac estimatione & gustu, ad excellum  
Dei amorem & unionem cum ipso ele-  
varemur! ita ut nihil, nisi ejus volunt-  
atem & gloriam inajorem queremus!

*invocavi & venit in me Spiritus sapientiae*

*Oveni spiritus sapientiae & posside nos!*

II. Secundus imber sapientiae, quem  
S. Parentis noster Ignatius emisit: hunc  
protulit sibi, seipsum sapienter dirigendo,  
secundum disciplinam, doctrinam &  
consilium Dei. Inniuit hoc Ecclesiasticus  
I. c. verbis proxime in sequentibus §.  
10. Et ipse dirigit consilium ejus & discipli-  
nam: & in absconditis suis consilabitur.  
Ipse dirigit. Lyranus explicat de Deo:  
Deus ipsis consilia dirigit & fortuna-  
bit: sed ex graco textu, apparet, quod  
ipse sapiens, avôs, dirigit consilium ejus,  
scilicet Dei: q. d. Non sufficit ei, quod  
sapientiam mente imbibenter sed dirigit

consilium Dei (quod à Deo hausit, vel  
è scriptura, vel è libris sacris) & in  
praxim rediger: ut scilicet ea, quæ Deus  
consulit ac docet, exequatur, in mores  
conferat, ac juxta ea, vitam omnem  
instituat, atque conformet. Dirigere  
enim est opus rectum, integrum ac fir-  
mum efficere, quod nulla tentacionum  
vel adversitatum vi evertatur. Sic S.  
Joannes Baptista clamabat: *Dirigate*  
*viam Domini. Joan. 1. 27. & Isaías c.*  
*40. Rectas facite semitas ejus.*

Quām praeclarè & sapienter hoc pre-  
stítit S. Ignatius? Quomodo ex prima  
lectione vite Christi Domini & sancto-  
rum, ea qua legit, mox in praxim redi-  
gere, & mores virūmque suam ad eorum  
imitationem conformare statuit: vestes  
pretiosas exuit, fasciū induit, totā nocte  
in precibus vigilavit: loca sancta Hiero-  
polymis inviit. 2. Consilium Dei quo-  
modo dixit: quando ea qua Christus  
consulit, consilia Evangelica amplexus  
est. Paupertatem, castitatem, & obe-  
dientiam sectatus. 3. Quomodo Chri-  
sti Domini vitam & doctrinam seu  
disciplinam in praxim rededit: mortifi-  
cationem & humilitati studendo, patien-  
tiam & zelum animarum exercendo,  
carceres cum gudio incolendo, accu-  
sationes, opprobria ac virgas cum lati-  
tia tolerando; & si par Dei honor foret,  
contemni potius, quām honorari pro  
Christo exoptando, ut Domino suo si-  
milior evaderet. 4. In absconditis con-  
silabitur. I. c. Quām multa ei Divina  
Bonitas revelavit, alias occulta, tum  
ipsum, tum alios, tum Societatis In-  
stitutum concernentia! ut verè dice-  
re cum Vate regio potuerit: *Inreta &*

Hh 3 *occult-*

*occulta sapientia tua manifestasti mibi  
Psalm. 50. Largeigitur hic Imber sapientia fluxit in ipsum: ipse dirigit consilium eius & disciplinam. l. c.*

Optatisne & vos, Chartissimi, hunc imbrem sapientiae? Si quis vestrum indiget sapientiam, postulete a Deo, inquit S. Jacobus Apostolus: Postulate & petite a Deo, ut ipse consilium vestrum dirigatur, vobisque ejus doctrinam in praxin deducatis. Et ipse dirigit consilium ejus & disciplinam. l. c. scilicet dirigit vos quoad mortificationem, humilitatem, patientiam, charitatem; quoad contemptum mundi, honorum & terrenorum; quoad amorem etieis, contemptum, & adversitatem. Nec ipsis paribus nostris desit; dirigite consilium perfectionis, quod Deus suggestit, per eloqua sua, conciones, instructiones: & quia auditis, vel ipsis legitis in praxin redigite: & quia in abconditis Deus loquitur in vobis per inspirationes & illustrationes, perficte; hac ratione imbrem sapientiae copiosum emittetis.

III. Tertius sapientiae imber, quem Imber sa-  
sapientiae  
Ignatianus circa  
proximum,  
pientiae  
circa  
proximum,

S. Ignatius emisit, est circa proximum, sapienter eum instruendo; iuxta sequentia Ecclesiastici verba V. 11. Ipse palam faciet disciplinam doctrinam sue, & in Lege Testamenti Domini gloriaritur. Atque hic est tertius fructus sapientiae; scilicet, quod eloquia sapientiae sue alii palam faciat; & arcana sapientiae divinae, que in corde abscondita continet, palam proferat & deponat. *Disciplinam, &c. id est Institutio-* nem doctrinam sue, quam praetara & ad mores formandos doctrinam insinuatus sit; ita ut gloriari possit, &

celebrare legis divinæ magnalia, ejus summam æQUITATEM, sapientiam, pi- tatem, sanctitatem.

Quam preclare hac præstit S. Patriarcha: verò imbrem emisit sapi- entiae, 1. ob copiam. 2. ob suavitatem, 3. ob fecunditatem: suauitatem in- quum meum, quasi imber super botan. & quasi stille super granina. Den. 32. Petiflum verò mox ab ini- tio conversionis sua licet ad hoc doctos & ajtiorum disciplinam ignarus.

1. Edidit Libellum exercitionum, in quo summam ostendit & palam- cit sapientiam & doctrinam sue initia- tionem: qui liber Deo ipso revelans & B. Virgine ducente conscriptus, inge- nia & innumera patravit morum & mendatorum miracula. In hoc libro, palam facit & proximum doce: 1. Modum varium oraendi. 2. modum meditandi. 3. modum conscientiam examinandi. 4. Per examen particulas methodura vita extirpandi. 5. Prava animi affectus & motus compelendi. 6. Boni & malis spiritus, motus deter- rendi seu discretionem spirituum. 7. Praxim vita statum eligendi. 8. kra- los abigendi &c. Quo libro S. Xavi- um & alios primos Patres Societatis perit, S. Carolum Borromaeum, aliquos innumeros ad morum mutationem & vitam sanctiorem provexit.

2. Palam facit disciplinam doctrinam sue, componendo Institutum se, confi- tutiones Societatis, que decem partes complectuntur, quas dum consideraret, admirandis visionibus, luminibus cal- stibus fuit illustratus; quz vel ipsos eti- Herero-

Heterodoxos, si legantur, in admiratio-  
nem rapiunt, omnem humanam politi-  
tam, sapientiamque excedunt, ac  
ideam perfectissimam & absolutissimam  
Reipublice continere affirmantur, mire  
ob civitatem planè in iis reconditam sa-  
pientiam, plenissimamque totius Christi-  
anæ ac religiose perfectionis doctrinam,  
à sanctissimis ac doctissimis viris  
depradicantur ac suscipiuntur, adeoque  
merito à diversis summis Pontificibus  
approbantur.

3. Ipse palam faciet disciplinam doctri-  
nae sue. Quam præclara dedit monita  
Layno & Salmeroni discendentibus ad  
Concilium Tridentinum? Quam exi-  
mia documenta Joanni Nunnez Patri-  
archæ etiæ in Aethiopiam? Quam egre-  
gias instructiones communicavit Lay-  
nio & Natali, proficiscentibus ad Co-  
mitia Augustana? Pachacio & Salme-  
roni pergentibus in Hiberniam Nun-  
niis? Ac postmodum, innumeris modis,  
in exhortationibus, in literis, admoni-  
tionibus, colloquiis, correctionibus,  
privatis instructionibus. Atque hi sunt  
imberes copiosi, suaves & secundi, quos  
emisit S. Ignatius.

Si genuini, tanti Patriarchæ Filii es-  
se desideramus; ejus vestigia vos legere,  
oportet: ergo, nunc dum in Tirocinio  
estis, privatim intra domellicos parie-  
tes, palam facite disciplinam doctrinæ  
Ignatianæ, eam moribus exprimendo,  
in colloquis proferendo, ad eam se-  
standam invicem vos animando: & suo  
tempore, dum cum proximis agitis,  
exhortando, instruendo, monendo, ca-  
techizando, alisque modis Instituto  
noltro conformibus.

Quod ut præstemus, Dilectissimi, co-  
nemur in Novitiatu triplicem hunc fa-  
pientia Ignatiana imberem acquirere,  
petendo, meditando, orando, mortifi-  
cando, legendō, audiendo, colloquen-  
do: dicamus cum Salomone Sap. 8. 2.  
*Hanc amavi & exquisivi à juventute mea*  
& quasi sponsam mihi eam assumpsi. 1.  
Circa Deum, divina clarè cognoscen-  
do, estimando, gustando, & dulcorem  
in iis percipiendo, eaque amando: hac  
enim vera sapientia est; sicut è contra,  
ista non cognoscere, non estimare, non  
amare, sed terrenis inherere summa  
stultitia est; qualis est illius, qui auro &  
gemmais abjectis cistis suis luto & are-  
na impleret. 2. Circa nos ipsos, sapien-  
tia laudata, in præcio redigamus; vi-  
tæque nostræ ad consilia Dei, ad vi-  
ta Christi exempla dirigamus, & cum  
constantia & fervore in omnibus cum  
imitari pro modulo nostro conemur:  
hac turum est verâ sapientia; contra  
rium vero stultitia. 3. Tertiam im-  
brem circa proximum effundamus, do-  
cendo & instruendo: hac iterum vera  
est sapientia, thesaurus enim abscondi-  
tus, nec communicatus, quam utilita-  
tem pariet? Quod si fecerimus: Collo-  
quabunt multi sapientiam nostram, scilicet  
Deus, Angeli & Sancti in celo, & justi  
in mundo, & usque in seculum delebitur;  
sed permanebit in animis homi-  
num usque in æter-  
num.

\*\*

## EXHOR.